



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 107. Sacra Biblio per Renatum Benoit versa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI  
A. C. 1567.

mentitis Reformatis obruebantur: unde jure merito eorum Religio omnium ludibrio exponebatur, ipsisque exprobatur, quod eorum coetus non sit vera Dei Ecclesia, eoquod circa præcipua fidei capita inter eos tantæ dissensiones vigerent: cum ergo ipsimet hanc objurgationem omnino veram sentirent, remedium opposituri, novam Synodum ad annum sequentem Cracoviæ celebrandam indicere statuerunt.

§. CVII.

*Sacra Biblia per Renatum Benoit  
versa*

*Argentre  
Collect. judic.  
de novis error. t. 1.  
in append.  
p. 83. &  
t. 2. p. 392.*

ANNO priori Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Renatus Benoit, seu Benedictus Andegavensis, qui Parisinæ Facultatis Doctor, ac primo Parochus ad S. Petrum ab Arcubus, postea sancti Eustachii Paroeciæ præerat, sacræ Scripturæ versionem typis edi curabat, quæ in pluribus locis Genevensi haud abfimilis erat, imo non raro in ipsis etiam, ut vocant, summariis, notisque marginalibus maximam habebat cum illa affinitatem, unde hæc ipsa Bibliorum confessio Authori suo ingens facefiebat negotium; quippe Doctorum nonnulli inde commoti, Renatum Benedictum hæresi infectum suspicabantur, atque hanc



hanc versionem ad Facultatem deferebant, a qua etiam nominabantur Deputati, qui hæc Biblia discuterent, ac postea, quid desuper sentirent, Facultati referrent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.

§. CVIII.

*Theologicæ Facultatis Parisinæ Conventus pro examinanda Renati versione.*

Hanc in rem plures Conventus Mensibus Aprili, & Majo, necnon in sequentibus habebantur, & quidem in eo, qui die septima Aprilis fuit celebratus, examinabatur Regis Privilegium, quo fretus Renatus hunc librum publici juris fecerat. In diebus sequentibus usque ad vigesimam octavam ejusdem Mensis Deputati decreverunt, convocandos esse illos Doctores, qui haud consulta Facultate hoc opus approbarent: die ergo trigesima Aprilis res effectui data, unde Facultas, peracto solemnium sacro de Spiritu sancto, congregata discutebat quasdam propositiones in hisce Bibliis contentas: postea accersebat illos duodecim Doctores, qui de sua approbatione rationem reddere jubebantur. Demum integri Menses Majus, & Junius usque ad decimam quartam Julii diem huic examini dicebantur, die autem decima quinta refe-

*Hist. Ecclesiast. Tom. XLVIII. N ren-*